

908

conditore animâ intelligente instructum esse; quantum Divinæ
munificentiae testimonium ac opus! Illam verò multis modis
corrumpi, depravari, ac aboleri posse, deplorandum vehementer!
Non verò de Spirituali intellectu corruptelâ jam Sermo nobis est;
Sed de eo mentis lapsu, qui naturales agnoscit causas, rationeque
corporis, actum hujus immerfa est involucris, ipsi quæ contingunt, de-
pravationibus agimus. Quanquam enim INTELLECTUS noster or-
gano corporeo ad edendas suas operationes, utatur minimè, & ab
omni materiae contagio sit liber, resq; ab eadem abstractas, & sine
ejus conditionibus cognoscat: tamen, cum in corpore agat ac exer-
ceatur; aliquo in eo ut operetur, existente, opus habet; phanta-
sia scilicet non quidem ut organo; sed solùm objecta, phantasmata,
nimirum, offerente; *Sennert. l. 1. instit. med. c. 14. l. 2. p. 3. d. 1. c. 8.*
Horst. d. natur. Hum. l. 2. exercit. 11. qu. 1. Casman. in physiolog. antrop.
c. 4. qu. 2. Goclen. in advers. ad exercit. Scalig. qu. 14. aliq; docent.
Quamdiu itaq; phantasia ritè suo defungitur munere, ratio etiam
rectè quod suum est, exequitur: Si verò phantasia lædatur, vel de-
pravetur, etiam phantasmata prava rationi suggerit, quæ ea uti ac-
cepit, dijudicat; & ita hæc quidem per accidens, secundariò & ra-
tione objecti; illa verò per se læditur, *Senn. l. 2. inst. med. p. 3. S. 2. c.*
4. Quod verò melancholi non rarò circa unam saltem rem aber-
rent, illiq; adeò pertinaciter admodum inhæreant, de reliquis verò
benè ratiocinentur; imò interdum versuti admodum sint; ideò
maximè fit; quia memoria salva plerumq; permanet, & rarò, nisi
malum radices penitus egerit, ac totam cerebri œconomiam destru-
xerit, labem trahit: quæ ea quæ asservat, ritè rationi suppeditat;
præterea vapores melancholicorum sunt crassi & turbidi, qui ima-
gines impressas tenaciter retinent, ut *Senn. l. c. & l. 1. pr. med. p. 2.*
c. 8. Horst. l. 3. epist. ac cons. med. S. 4. docent. Sic *Petr. Forest. l. 10. obs.*
med. obs. 15. de mercatore quodam refert, summam suam inopiam
ac paupertatem, ad quam redactum se esse perivasum habebat, de-
plorante solum, de reliquis verò benè judicante. *Observ. 19. citat.*
aut. narrat; rusticam quandam melancholiâ hypochondriacâ labo-
rantem, curandam sibi obvenisse, quæ paroxysmi tempore hymnos
latinos cecinerit, quos nunquam didicisset, nisi forsan sæpius in
templo eos audivisset. *Ecl. Plaer. verò l. 1. obs.* se juvenem ranam in

B

ventris